



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Reverendissimis, Prænobilibus, & Amplissimis Dominis, Dominis Austriæ
superioris D. D. Prælati, S. Cæsareæ Majest. &c. &c. Consiliariis. Dominis
Patronis Gratosissimis, & Observandissimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

REVERENDISSIMIS, PRÆNOBILIBUS,
& AMPLISSIMIS
DOMINIS, DOMINIS
AUSTRIÆ SUPERIORIS
D.D. PRÆLATIS,
S. Cæsareæ Majest. &c. &c. Consiliariis.

Dominis Patronis Gratosissimis, & Observandissimis.

REVERENDISSIMI, PRÆNOBILES, & AMPLISSIMI
DOMINI, DOMINI PRÆSULES,

Non absque metu quodam reverentiali intra Inclyti
Statûs, & Reverendissimi Coetûs Vestri penetralia pedem
infert mea THEOLOGIA; verita nimirum, ne importunè
auribus obstrepant Academicæ Controversiæ & Dis-
putationes, quo tempore omnem Curiam curis occupant tumultuosa Martis certamina. Non jam de *legibus*, sed *Legionibus* agitur: neque curat militis *stylus ferreus*, quæ dictamina scribat, aut præscribat calamus *Theologicus*. In argento, non argumento belli nervus intenditur, & causæ pondus statuitur. De *Nummo*, non de *Numine* Numa consultat; neque tanta de acervandis rationibus, quàm dividendis portionibus movetur quæstio.

DEDICATIO.

Audeo tamen *Reverendissimarum Vestrarum Amplitudinum* conspectui sistere & offerre meam *Theologiam*, quia in sua fronte præfert Supremi Numinis optimum Nomen & omen; cujus cultum, ac studium sacre *Reverendissimorum Austria Præfulum Curia* inter principes curas semper exstitisse, nemo ignorat, nisi qui tam ad nostrorum, quam antecedentium temporum lucem caligat.

Fuit quondam illa calamitosa tempestas, in qua Bohemicus turbo unâ cum avita & vera DEI fide, debitam Casari fidem etiam in vicinis provinciis evertere minabatur: ne porro in Patria *Vestra* corrueret fidelissimus *Reverendissimorum Dn. Prælatorum status* omni ope & operâ cavit, laboranti succollavit, alicubi lapsam reparavit: atque inter tumultuantes patriæ procellas inconcussus, docuit reddere, *quæ sunt Casaris, Casari; quæ sunt DEI, DEO*; (a) *Vestræ* vigilantia & invictæ pietati, ô *Reverendissimi Patriæ Proceres!* magna ex parte debet Orthodoxa Religio sese vel servatam, vel restitutam. Eidem in acceptis refert illum, quo hodie dum conspicitur, florem, & virorem. Alibi efferata Martis barbaries dicata DEO templa solo æquat, vetustissima sanctitatis domicilia & venerandos parietes subactis cuniculis evertit; incerata Divûm simulacra in cineres, delubra vertit in equorum stabula. At *Vestris* sub auspiciis quantis incrementis efflorescit Sacre Religionis Majestas? Surgunt alicubi ex imis fundamentis sacra DEO templa, alibi raris sive à gypsario opere, sive picturâ artificii in novam elegantiam efformata resplendent. Alibi pro divini famulitij augmento nova stant Asceteria & Collegia. Altaria Cœlitum honori pretiosè erecta simul oculum rapiunt in admirationem, pectus in devotionem. Ipsimet Beati Titulares, cùm sua sacra lipsana argenteis recepta conditorijs, gemmis ac margaritis præfulgida contuentur, suorum corporum gloriam post anastasin restituendam, hâc anticipatâ gloriâ præsignatam degustant. Ab hoc Religionis zelo non *Vos* impedit irrequietus Bellonæ insultus, temporumque injuriæ. Premunt illæ quidem, & quis nescit? ingentem æris profusionem exprimunt, quâ adversus Augustissimi Casaris hostes itis in suppetias; non tamen opprimunt: imò (quod palmæ adscribitur, *pressa alius*) ab ipsis oneribus fortiores, temporumque victores identidem novas producit frondes, & *elatas palmarum*. (b)

Quod verò palmarium, æquè militans, ac triumphans Ecclesia sibi gratulatur, à *Vestro* pervigili zelo crescere in fide, virtute, & pietate civium suorum numerum; crescente nimirum intra concreditos vobis subditos Pastorum industriâ, rudium instru-

(a) Matth. 22. v. 21 (b) Cant. 5. 11.

DEDICATIO.

instructione, Sacrorum frequentatione, Divorum cultu, omnigenâ devotione. Cùmque pro divina intelligentia mentis Vestra non ignoretis, litteras omnium esse fundamenta Virtutum (c) idcirco in Asceteriis & Collegiis Vestris Viros educatis non minùs bonis litteris, quàm virtute exultos, illos ad publica studiorum Emporia & Athenæa dirigitis, ut in hisce veluti floridissimis campis argumentosæ apes sublimiorum scientiarum, præsertim sacræ THEOLOGIAE mella legant, eaque aërei mellis caelestia dona (d) vel, ut sacram doctrinam Hipponensis Præsul nuncupat, Angelorum ferculum & Archangelorum pulmentum (e) suo tempore fidelibus subditis in æternæ salutis alimentum dispensent.

O felicem ab hoc Religionis flore patriam! nam uti

— — primâ scelerum causâ mortalibus agris Naturam nescisse DEUM (f)

ita ex adverso omnia secunda sunt colenti DEUM, & qui Religioni studens Divina tutatur, fluctuare aliquando potest, mergi non potest. (g) Quemadmodum omnia à DEO & per DEUM sunt constituta (h) tanquam abyssali fonte bonorum omnium; ita à vero DEI cultu ceu scaturiginè felicitas omnis promanat. Felicia quoque sub Vestro Præfulatu Cœnobîa & sacra Collegia, quæ velut totidem celeberrimæ virtutis & scientiarum palæstræ Virorum non minùs litteris, quàm virtute clarissimorum examina nutriunt. Hi sunt Ecclesiastici ac Religiosi statûs præstantissimi thesauri, hæc pretiosa cimelia. Sanè magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus non dubitat, mentem bonis artibus & disciplinis præditam, arcam Divinitatis nuncupare. (i) Idem: sunt, inquit, in Ecclesia DEI, & semper fuerunt lapides pretiosi, docti scilicet, & abundantes scientiâ, & eloquentiâ. (k) Eadem fuit Pii I. Pontificis Maximi de litteris æstimatio, de quo Platina testatur, libros plus quàm sapphiros & smaragdos curare solitum. (l)

Itaque securâ fiduciâ Vestrum gratiosissimum favorem ambit mea THEOLOGIA SCHOLASTICA, Reverendissimi, Prænobiles, & Amplissimi Domini, Domini Præsules. THEOLOGIA, inquam, quâ fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur (m) SCHOLASTICA, h. e. ambidextera, quæ unâ manu sancta fidei, alterâ sana morum principia propinat; æquè practica, ac speculativa. Est & Thomistica, ut quæ ex Angelici Doctoris stylo & filo contexta, per concatenatam Ejus illibatâ doctrinæ consequentiam decurrit. Est & Salisburgensis: nimirum in Athenæo Juvaviensi Superiorum voluntate à me per quindecim annos de suggesto tradita, publicisque Disputationibus propugnata. Est tandem omnibus hisce titulis Vestra: in primis quia Theologia Scholastica; quis enim dubitet, eam scientiam à Vobis in sinu amari, quàm in Vestro gremio tam impense fovetis; ipsi.

(c) Eumen. in paneg. (d) Virg. Georg. (e) D. August. serm. 38. ad FF. in eremo. (f) Sil. l. 4. (g) Campanus apud Nierenb. in Theopol. (h) Arist. de mundo, ad Alex. (i) August. apud Cl. Clem. in Mus. p. 101. (k) Idem serm. 118. (l) Plat. in vit. (m) Aug. 14. de Trinit. c. 1.

DEDICATIO.

ipfimet quoque juvenilibus annis altiffimè imbibiftis: eft quippe natura comparatum, ut ea ftudia omni vitâ colamus, quibus à tenerioribus annis exculti fuimus. Erit deinde etiam ex eo capite accepta hofpes, quia fub fignis Angelici Ducis militat, cujus doctrinam non tantùm Vaticana Oracula, fed & Ipfa met æterna Veritas de Crucis Cathedra comprobavit: *Bene fcripifti de me.* Erit eo quoque titulo non ingrata, quia Salisburgenfis eft: fentit quippe noftra Juvaviensis Universitas, multis magnisque gratiis à Veftra manu perfufa, fe ingenua Vobis humanitate haberi tanquam domefticam: nam ut taceam, quòd à Reverendiffimo DD. Prælatorum Collegio Præfides & Affiftentes, ex eorundem Asceteriis Rectores & Doctores, ex Religiofa ipforum juventute præftantia ingenia altioribus difciplinis informanda magno numero recipimus; noftras Academicas lucubrationes modò Sacras, & Partheniæ pietati dicatas, modò oratorias, modò difputatorias benignis oculis afpicitis, gratiofis manibus tractatis, liberali ære promovetis. A quo Mufarum noftratùm favore, nequaquam Vos avocant gravium & publicorum multitudo negotiorum: ea quippe jam *Veftra* dexteritas in confuetudinem; melius dixerim, in naturam vertit. Loquar cum Latin. Pacat, in paneg. *Quicquid homines vocamus laborem, VESTRA natura eft. Ut indefeffa vertigo cælum rotat, ut maria æftibus inquietæ funt, & stare fol nefcit; ita Vos continuatis negotiis, & in fe quodam orbe redeuntibus femper eftis exerciti.*

Hâc Gratiofa benevolentia expertâ humanitate partum meum Theologicum ad facras manus admittite, *Veftroq.* Auspiciis fovete, *Reverendiffimi, Pranobiles, & Ampliffimi Domini, Domini Præfules.* Præmiferam hæcenus varios particulares Tractatus, velut quosdam emiffarios: nunc verò totum S. Theologiae Curfum ad *Reverendiffimas Amplitudines Veftras* dirigo, ut fub earundem benigniffimo afpectu, Nominumque splendore feliciter in lucem prodeat: fub quo nulla erit formido à malignantis noctuæ roftro, vel ungue, *Veftre* virtutis & fapientia radiis ad obfcuras nocturni spelæi umbras facile abigendæ. Permittite demum, ut meus ifte qualifcunque labor fit meæ erga Reverendiffimas Veftras Amplitudines devotiffimæ obfervantia perenne monumentum, cui iftud intimum animi demiffimi votum infcribam:

*ReVerenDIffIMI PræVLES & PræLati SVperiorIs AVstrIæ
feros fLoreant, VIVantqVe In annos.*

Infcipfi & voti
Die, CHRISTO recèns Nato, facrà.

*Reverendifsimarum, Pranobilium, & Ampliffimarum
Dominationum Veftrarum*

Obfequentiffimus

P. PAULUS MEZGER.